

GN. 578. 10.

136.

B. M. II 441



GRATIARUM ACTIO
AD

ILLUSTRISSIMUM AC CEL-
sissimum Principem ac Dominum,

DN. LUDOVICUM
HASSIÆ LANDGRAVIUM, CO-
MITEM CATTIMELIBOCORUM,
Deciorum, Ziegenheini, & Niddæ, &c.
Dominum suum Clementif-
simum.

PRO ACADEMIÆ GIESSENÆ ERECTIONE,
Fundatione & Dotatione, &c.
IN IPSO NATIVITATIS ACADEMIÆ
VII. Octobris die,

Habita à

CHRISTIANO Liebenthal/ J. U. D
& tunc temporis ORATORE.



GIESSENÆ, Typis NICOLAI HAMPÉLII, Acad. Typogr.
M DC XXIII.

X 1863577

2

1301

1111

1111

1111





*Q*uod statutum hujus Academiae requirit; Magnifice Domine Rector, Amplissime Domine Vice-Cancellarie, Viri admodum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi; tuq; Studiosorum corona genere nobilissima, virtute politissima, et aetate florentissima; Quod inquam statutum hujus Academiae postulat; quod pietas imperat; quod gratitudo demandat; quod voluntas Illustrissimi ac Celsissimi nostri Principis, comprobat; festivitatem Academiae hujus natalitiam; non falsa Ethnicorum superstitione, aut feda Fanaticorum emulatione, floribus, graminibus, tapetibus, vestibus, sculptilibus; sed grato venerationis affectu, & pio devotionis cultu, laudibus, hymnis, votis, vocibus ac studiis, in frequentissimo hoc Musarum congressu, celebrabimus, & ea, quae homines gratos, quae homines pios, quae homines ingenuos decet, peragemus.

Nam cum ante XVI. annos, hoc die XVI. Octobris, in Dei Ter Opt. Max. gloriam, Ecclesia Orthodoxa edificationem, universae ac summae Reipub. Rom. splendorem, Patria Hassia honorem, omnium nationum ac gentium utilitatem, singulari Dei providentia, divinoq; planè affectu Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini nostri, Academia haec fundata, & Musae in hocce amplissimum Palatium sibi magnificentissimè instructum, ornatum & preparatum, magna cum festivitate ac pompa introducta, Privilegia Caesarea & Principalia ab Ipsomet Principe Fundatore publicata, simul hoc statutum factum, ut in auspiciis hujus Academiae felicissimum, inq; auspiciatissimum ejusdem progressum, hoc in-

augurationis die annuatim, novâ cultûs & religionis facie, in venerandam ejus temporis memoriam, cōjunctis animis rediremus, & hujus diei festivitatem lætis animis celebraremus. Et quamvis, non tantum in Promotionum nostrarum solemnitatibus; verum etiam in singulis actibus solemnibus & festivitibus Academicis, imò in omnibus Disputationibus & Exercitiis, tam privatis, quàm publicis, memoriam tanti beneficii grato animo recolamus: illud tamen ipsum hoc die, majoribus quasi theatris à Professore quodam ordinario, ut fiat, demandatum est. Quamobrem cum provincia dicendi jam mihi data & concessa, putavi, me & statuto nostro & provincia mea, satisfacturum, si Illustrissimo Principi ac Domino, Dn. Ludovico Hassiæ Landgravio, &c. Domino Fundatori, Conservatori ac Nutritio, Domino nostro Clementissimo, pro maximo hoc beneficio, devotè gratias agerem.

Et si Romanis quondam, tunc temporis Ethnicis hominibus, gloriosum & honorificum fuit, quòd singulari veneratione & apparatu magnifico diva Minerva prosequerentur beneficia; ecquis nobis vitio vertat, beneficia Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini nostri Clementissimi, in Ecclesiam, in Rempub. in omnes homines, collata, circa hoc tempus Academia natalitium predicari? Academia inquam quæ, ut Illustrissimæ ejus Celsitudinem agnoscit Parentem; sic splendidissimi ortûs sui fructum, in hunc usq; diem, ad omnes, non tantum Romani Imperii, verum omnium singularum exterarum gentium & nationum angulos, uberrimè transfundit. Et si ob unius anni salutem: si ob unius diei commoditatem: si ob unius horæ utilitatem: si ob unius boni, quamvis exigui, collationem, Benefactoribus nostris gratias nos debere, magnâ profiteamur lubentiâ: Cur non ob præstitam toti mundo, tantam, tam variam ac multiplicem felicitatem: ob collatam tot bonorum, ad omnes vitæ status profluentium perpetuam copiam: ob institutam tot artium & scientiarum gazam: ob erectum hoc amplissimum eruditionis & sapientiæ domicilium: ob fundatum hoc
ater-

eternitatis capitolium: ob hoc magnificentissimè ornatum magnorum ingeniorum prytaneum: Evergetæ nostro debitas exsolvam gratias hodie? Decet omninò! At, quid dico decet, imò oportet gratos nos esse Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac Domino nostro! Et cum ad ejus Celsitudinis augustum nomen, harum adium parietes exultare, subsellia tripudiare, pulpita hæc gaudere & Principi nostro gratias agere videantur, quid nos faciemus Auditores? in quorum utilitatem augustum hoc Musarum & honorum templum aperuit, legibus fundavit, operibus ornavit, redditibus ac proventibus annuis dotavit? quid?

Conjunctis animis ingens hoc Principis nostri beneficium hac Oratione deprædicabimus, & ob id ejus Illustrissimæ Celsitudini, gratias agemus.

Atq; ut à primo Orationis nostræ membro dicendi initiū faciamus, utinam mihi adesset tantum flumen ingenii, tanta dicendi vis, tantaq; copia, ut hoc tuum beneficium, Illustriss. ac Celsiss. Princeps, consentaneâ Orationis amplitudine, non dicā exornare, sed enarrare, aut dignâ satis significatione indicare possem. Non enim mihi hoc loco laborandum, ut hoc T. C. beneficium verborum phaleris ac lenociniis enitescat, aut Rhetoricarum amplificationum præstigiis crescat: tantum est inspecta rei veritate beneficium, in hanc regionem, in Ecclesiam, in Rempubl. in nos & nostros collatum, ut nullis humani ingenii viribus, nullo labiorum motu, nullâ linguarum vi, unquam satis explicari, ne dum deprædicari possit.

Ex quo intelligere facile potestis, Auditores, vestri esse officii, beneficium hoc Illustrissimi ac Celsissimi Principis nostri, nō ex orationis meæ tenuitate, sed ex ipsius beneficii amplitudine, dignitate & utilitate, pensitare, meq; de super, non quantum requirit beneficii amplitudo, sed quantum mea me permittit tenuitas, perorantem audire.

Primum ergo, quid dignitatis, quid gloriæ, quid laudis, in hocce beneficio positum sit, oculis & auribus vestris exponam: de-

inde fructum & emolumentum, tum privatum, tum publicum, animis vestris cognoscendum, eundemq; sermonibus vestris latius excolendum, expoliendum & efferendum proponam.

Quid autem de dignitate, amplitudine & gloria hujus beneficii prius dicam Auditores? Quid? Annon hujus beneficii dignitas tanta, ut omnes ferme dignitates alias antecellat, & lumē, imò honorem & gloriam Reipubl. praebeat? Quid Imperia, quid Regna, quid Ducatus, quid Principatus ad tantam dignitatem & amplitudinem evexit? si non Academia! Vnde Germaniae honor & praexcellētia? si non ex Academiis! Vnde civitatum Imperialium nonnullarum laus & gloria? si non ex Academiis! Vnde quae so splendore & sapor in omnes Reipub. status? si non ex Academiis! Vnde tam varia honorum insignia? si non ex Academiis! Vnde tituli & gradus honorum? Academia inquam sunt initium, fons ac fundamentum omnium ferme dignitatum ac honorū, imò sunt Rerumpub. splendor, laus & gloria. Sed ut hanc rem diligentius scrutemur, agite Auditores, interrogemus Graciam, quibus gradibus ad tantum honoris & dignitatis fastigium pervenit, ut Oraculum Delphicum de fortuna Graeciae consulentibus, hunc in modum responderit: Tantò Graeciam ceteris nationibus excellentiorem fore, quantò alias aves praecellat in nubibus Aquila. O pulcrum Oraculi responsum de Graecia! Sed unde tanta excellentia & tanta dignitas Graeciae? Respondebit Graecia, id unicè Academiis in Graecia institutis acceptum ferendum esse. Nam propter Academias, imprimis tres Graeciae Civitates non tantum in maximo fuerunt honore, sed etiam pra aliis floruerunt, utpote fuit Sparta in Peloponeso, Thebae in Boetia, Athenae in Attica, inter quas Athenae omnium cultissima habita, ut quae Minervam sapientiae praesidem cum Musarum choro, ex Iudaea, Phoenicea, & Egypto, adventantem, liberali hospitio, non tantum excepit, verum hoc hospitandi munere adeò crevit, ut omnium hominum fulcrum dicta & appellata sit, unde Graeci Philosophorum consuetudine, non

tan-

tantum in omni scientiarum genere sapientiores, verum etiam in civilibus negotiis prudentiores evaserunt. Sed foris exempla quid petam, domesticis cum abundemus? Interrogemus ipsam Patriam Germaniam nostram, quæramus ex ea, Cur mater omnium virtutum, artium ac scientiarum dicta & appellata! Respondebit scio, ex tot Academiarum erectionibus, tam celebrem, tam claram factam esse. Et est in primis celebre in Germania nostra, quod humaniorum artium atq; scientiarum, ut & cultissimorum morum, mercaturam toti mundo præbeat. Tot enim Academias bene constitutas habet Germania nostra, quot vix in aliis Europæ partibus inveniuntur. Et ne dicam de aliis Romani Imperii provinciis, quæ ob erectas & institutas Academias in maximo sunt flore & honore, Giesam hanc nostram, quibus mediis ad tantam dignitatem & gloriam pervenit, interrogate. Respondebit scio, propter solam Academiam in tanto honore, dignitate & gloria esse. Nam quod hæc urbs, nominis sui famam per universam Europam, & alias mundi partes disseminavit, sola facit Academia! quod remotissimi populi, Galli, Angli, Dani, Sueci, Vngari, Itali, Hispani, Livoni, Poloni, Russi, Borussi, ceteraq; nationes, hanc nostram Giesam suspiciunt, honore afficiunt, eamq; accedunt, inq; eadem commorantur, sola facit Academia! Quid quæso à Principe Reipub. præclarus, quid honestius, quid dignius excogitari posset? Præsertim cum Academia non tantum Reipubl. verum ipsi etiam Principi sint honori & gloria. Hac ergo erectione & fundatione Academia, trophæum tibi existi perpetuum, Illustrissime ac Celsissime Princeps, & quidem trophæum non è truncis arborum aut lapidibus, non ex ære, aut aliare caduca, sed ex ipsamet literarum perennitate & magnorum hominum ingenis, quæ, tanquam ad mercaturam scientiarum & artium ad hanc tuam Academiam proficiscuntur, & præclaris suis scientiis & artibus æternis monumentis immortalitatem T. Illustriss. Celsit. toti familia Illustrissima, pariunt. Et quamvis, tum apud veteres, tum apud hodiernos Reges

& Principes, & fortitudinis tuenda, & virtutis conservanda,
 & roboris ac disciplinae militaris tuenda gratiâ, Scholæ militares,
 quod tempore belli usum suum habeant, in magno honore ac pretio
 habitæ: tam insulsus tamen nemo est, qui, aut veterum aut recen-
 tium Athletarum certamina, aut Aliptarum luctas, aut Olympi-
 cas cursorum victorias, aut gladiatorum & myrmillonum confi-
 ctus, cum tua hac saluberrima erectione ac fundatione Academiae
 hujus, conferri posse, existimet. Quod ipsum, si non aliunde cog-
 nitum & exploratum, ex eo satis abunde constaret, quod Scholæ mi-
 litares duntaxat belli tempore utiles: Academia verò utroque &
 pacis & belli tempore admodum necessaria: quod Academiarum
 usus semper exoptabilis, exercitiorum bellicorum usus semper ex-
 ecrabilis: Academiae inquam sunt Sol, oculi, cor, Reipubl. & Ec-
 clesiae. Solem ex mundo tollere videretur, qui Academiæ ex Re-
 publ. tolleret. Quod enim Sol in mundo, quod oculi & cor in ho-
 mine; id Academiae in Reipubl. Nam ut Sol illuminat totum mun-
 dum: ita Academiae illuminant Reipubl. ut Sol ornat totum Cae-
 lum: ita Academiae totam Reipubl. ut Sol omnia fovet & calefa-
 cit in mundo: ita Academiae omnia fovent, ad Dei gloriam, ad
 justitiam, ad vitam felicem & beabilem, omnia in Reipubl. diri-
 gunt: ab Academiis succus & sanguis in omnes vitae status! At
 Exercitiis bellicis, cum iis Reipubl. non illuminatur, sed obfusatur:
 non ornatur, sed deterioratur: non fovetur, sed interitum tradi-
 tur, optimè carere potest. Quoties ergo cumq; hanc tuam eruditio-
 nis sedem, hoc tuum sapientiae domicilium, literarum sacrarium,
 adspicimus, Illustrissime ac Celsissime Princeps, toties super tuo
 hoc beneficio triumphamus, & T. Cels. gratias agimus. Sed quid
 in his quæ vobis omnibus cognita & explorata diutius commoror?
 Nemo est, qui ignorat, Reipubl. eas, in quibus Academiae sunt ere-
 ctæ, in maximo honore & pretio apud omnes homines esse: Agite
 Auditores, videamus aliquantulum clarius, quid dignitatis, quid
 gloriae Ipsi Principi hujus Academiae erectio conferat. Regium
 esse

esse Academias erigere, nullum omninò est dubium. Siquidem solus Imperatoribus & Regibus datum, ut propria autoritate Academias erigant & erectas Privilegiis ornent. Quemadmodum id ipsum de Aurelio Imperatore, de Carolo Magno, de Francisco Gallia Rege, de Ludovico Rege Vngariae, de Alphonso Hispaniarum Rege, & aliis Imperatoribus & Regibus, ex lectione Historiarum est notissimum. Sed quid dico Regium? Imò divinum quippiam est, Academias instituerè. Nominantur enim Principes Dii! Cur? non ceriè aliam ob causam, quàm quod ad Dei proximitatem quàm proximè accedere, & instar Numinum caelestium divinitatis imaginem, sanae de Deo doctrinae, pietatis, justitiae, sapientiae, prudentiae, virtutumq; omnium radiis, concessas sibi à Deo oras illustrare & exornare debeant. Unde etiam Celsiss. & Illustriss. appellantur. O Regium Principis nostri officium! O divinum Principis nostri beneficium! ô singulare & excelsae mètis indicium. Quanta a pietas, quòd religioni, quòd justitiae, quòd scientiis ac artibus Academiam hanc erexit? quae prudentia, quòd orthodoxorum & Clarissimorum virorum opera in hunc usq; diem eandem clementer servavit? quae liberalitas, quòd Clarissimos undecunq; singularum facultatum Professores accersivit? muneribus invitavit? praemiis ornavit? quae virtus heroica, quòd eandem hanc suam Academiam ipse magna cum festivitate & solennitate introduxit, & magnis redditibus annuis dotavit? Idcirco lubètes prosequimur & quidem summis laudum encomiis prosequimur, pietatem, prudentiam, liberalitatem Illustrissimi ac Celsissimi Principis nostri. Atque sic laudes tuae, Illustrissime Princeps, non tantum nostris, sed omnium gentium literis atq; linguis celebrabuntur, nec ulla unquam aetas de tuis hisce laudibus conticescet. Et profecto, quamvis alia tua heroica facta, Illustrissime ac Celsissime Princeps, magnam gloriam, laudem ac gratiam tibi concilient; nulla tamen laus amplior, nulla major, nulla augustiore eà, quam antea sedecim annos hac inaugurationis die assecutus es. Soleo equidem mihi saepè ante oculos po-

B

nere

neret tuas laudes, Princeps Illustrissime, easq̄ crebris meis sermonibus extollere, ut quod Princeps talis sis, quem ex omni mortaliū genere, neque suffragiis, neque votis, meliorem deligere aut optare possemus. Tamen enim pius & religiosus es, ut Numini ac ipsi Deo, quàm homini propinquior videaris: tam justitiæ observans, ut ad Rempub. benè & feliciter administrandam omnes ingenii nervos intendas: tam charus Patriæ, ut omnes tui subditi vitam pro salute tua amitterent: tam humanus, ut cui vis ad te pateat aditus: tam benignus, ut neminem à tuo sermone tristem discedere patiaris: tam munificus, ut omnes nos, abs te uno rectè factorum præmium speremus: tam incorruptus, ut unicuique, quod suum est, nullo habito respectu personarum tribuas. Hæ inquam virtutes omnes, quas in te magno cumulo cernimus, nisi tantas & tam excellentes esse dicamus, ut eas vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit, veri & justī non essemus. Est tamen hoc, de quo jam sermo est, longè majus beneficium! Nam non tantum apud Imperatores, aliarumq̄ Nationum Monarchas & Reges magnam conciliat T. C. auctoritatem, laudem & gratiam; verum etiam ipsis Angelis & mentibus calicolis, charam, quin imò apud Deum Ter Opt. Max. beatam & apud omnes homines immortalem reddit. Celebret ergo alius tuas, Illustriss. Princeps, alias laudes, exornet alius varia tua heroica facta, laudet alius varias tuas peregrinationes, extollat alius varios tuos labores, molestias, curas, sumptus, quos in sedandis hisce intestinis tumultibus impendisti; nos hac vice in id intenti erimus, ut hanc tuam inusitatam, incredibilem & penè divinam munificentiam, in erigenda, amplificanda, dotanda & sustentanda hac Academia, animo, stilo, voce, votis, hymnis ac laudibus celebremus.

Ea est ergo beneficii hujus amplitudo, ea dignitas, ea gloria; Agite Auditores, videamus quid, præter dignitatem, præter amplitudinem & gloriam, utilitatis & commoditatis in sese contineat. Ut ergo hujus beneficii utilitatem & commoditatem eò ac-

cura-

curatius cognoscatis, subjicite quæso vestris oculis omnes ætatis humanæ partes: omnem publicorum temporum varietatem intuemini: omnes instituendæ vitæ rationes perscrutamini: omnis generis vias animo & cogitatione percurrite: nullam omninò vitæ partem, nullum vitæ statum, nullam vivendi rationem reperietis, quæ non ita Academiarum auxilio indigeat, ut si eas quis sustulerit, Ecclesiæ & Reipubl. fundamentum, Patriæ splendorem, gentis honorem, vitæ humanæ animam, omnium actionum lumen, sustulisse videatur. Etenim, quibus fundamentis Ecclesiæ propagatur & defenditur: quibus fundamentis Iustitia in tribunalibus, in curiis, in foro, in judiciorum subselliis, administratur: quibus mediis sanitas conservatur & recuperatur: quibus artibus ac scientiis totus mundus illustratur. Id omne sive animam, sive corpus, sive sanitatem, sive honores, sive opes aut facultates spectes id omne dico ex Academiis fundamentaliter hauriendum & trahendum venit. Vnde Academiæ non immeritò appellantur fundamentum Ecclesiæ & Reipubl. Patriæ splendor, gentis honor, oculi mundi, actionum humanarum lumen. Nam ex Academiis, tanquam ex Equo Trojano proficiscuntur, qui utroque tam belli, quam pacis tempore Reipubl. præsent. Et ut de pacis tempore prius dispiciamus, quis nescit, ex Academiis venire eos qui verbum Dei publicè prædicant, sacramenta administrant, hereses refutant, errantes in viam reducunt, peccatores resipiscentes à peccatis absolvunt. Deinde cognitum & exploratum est, ex Academiis proficisci eos, qui justum ab injusto, licitum ab illicito, æquum ab iniquo, secernunt, qui ex legis divinæ & humanæ præceptis principum statutis, prudentum responsis, societatem civilem certo quasi freno intra justitiæ metas continent, & Magistratum à contemptu, subditos à tyrannide, vitam ab interitu, famam à contumelia, opes à rapina, vindicant. Quis ignorat ex Academiis progredie eos, qui ex ipsis fundamentis humanorum corporum dispositiones cognoscunt, qui sanitatem conservant, & amissam restituunt, qui aut integra re-

tinenda aut affecta reficienda, aut corrupta & planè putrida mem-
 bra, vel abscindenda, vel comburenda, vel secanda, vel liganda, ne
 pars sincera trahatur, cognoscunt. Quis deniq; ignorat, ex Aca-
 demiis proficisci eos, qui hominis mentem, qui linguam, qui vitam,
 scientiâ, eloquentiâ, virtutibus deniq; omnibus, instruunt, ornant,
 beabilem reddunt. Annon hæ sunt magnæ utilitates & commo-
 ditates Auditores? Non puto aliquem reperiri, qui hæc ingentis
 utilitatis loco non aestimat. Et si forsitan reperiatur quispiam, is
 quæso perpendat, quænam miseria quænam confusio, quænam per-
 turbatio in omnibus vitæ statibus esset futura, si Academia non es-
 sent. Ponat ergo sibi ante oculos miserabilem ejusmodi aliquem
 statum, & quæ confusio, quæ perturbatio, quanta in omnibus vitæ
 partibus miseria futura sit, oculis mentis suæ introspeciat. Homi-
 nem ergo indoctum, illiteratum, in suggestum ponat: in solium col-
 locet, in senatum adducat: arti medicæ aliisq; scientiis atque arti-
 bus præficiat. Rem non modo ridiculam, sed & omnium homi-
 minum judicio indignam, imò omnium miseriarum miseriam, in
 omnibus vitæ statibus cognoscet. Ille nènè verbum Dei interpreta-
 bitur, qui in Academiis vera fundamenta fidei non didicit? Ille nènè
 meam causam cognoscet, litem dijudicabit, sententiam feret, qui
 quid audiat, quid cognoscat, parum aut nihil intelligit? Ille nènè
 meam sanitatem conservabit, amissam restituet, qui non, nisi ma-
 ximo meo cum periculo, per experimenta duntaxat, per mortem
 meam agit? Ille nènè mentem meam; ille nènè linguam; ille nènè vitam;
 scientia, eloquentia, virtutibus instruet, ornabit ac beabilem red-
 det qui scientias, eloquentiam & virtutes, ne quidem à limine gu-
 stavit? O miseriam Reipubl. Sed quid dico miseriam Reipubl.
 cum Respubl. in istiusmodi miserrimam faciem cadere nullo modo
 possit. Quod si ergo - quis ita omnes vitæ humanæ status mecum
 pervolvat, nullus dubito, quin, non dico, magni, sed ingentis, quin
 imò immortalis ac divini beneficii loco aestimet, quod Illustrissi-
 mus ac Celsissimus Princeps noster, divino planè affectu, Acade-
 miam

demiam hanc erigere, erectam fundare, fundatam privilegiis ornare, ornatam locupletare, locupletatam redditibus annuis dotare, dotatam in hunc usque diem in tantis scholarum turbinibus, Rerum publ. naufragiis, in tanta vite humanae fragilitate, Diaboli immanitate, vulgi insolentia, ita conservare, ita regere & administrare voluerit, ut neque in scopulos impietatis afflicta, neque militia fluctibus obruta aut discordiarum undis submersa; sed adhuc vigeat ac floreat. Egregie ergo, Princeps Illustrissime, sinem tuum assecutus es. Nam ex longissimis terrarum oris magno numero discentes ad hanc tuam Academiam confluxerunt, atque ex eadem optimarum artium ac scientiarum officina in hunc usque diem innumerabiles emersere viri, quorum opera & labores non solum huic Patria, sed & vicinis & insuper dissitis regionibus, nec tantum plebeis, sed & summis Principibus, Ducibus, Regibus, Imperatoribus & honori sunt & emolumento. Habet ergo hinc beata Hassia orthodoxos divinorum oraculorum interpretes & quidem tales, quibus nihil tam confusum, tam nodosum, tam obscurum proponi potest, quod non ex fundamentis sacrae scripturae explicare & perspicuum reddere valerent. Habet insuper hinc inclyta Hassia iustitiae sacerdotes & sacrarum legum interpretes, & quidem tales, qui vel solertia in dijudicandis, vel acumine in disputandis, vel elegantia copia, majestate ac gratia in proponendis ac pertractandis rebus juridicis, nemini cedunt. Habet & Trismegistas & Aesculapios, qui non per experimenta & mortes, sed ex ipsis fundamentis morbos dijudicant. Habet, qui beatitudinis viam monstrant, qui eloquentia thesauros recludunt, qui sapientiae arcem aperiant. O admirandam Academiae hujus utilitatem! O praeclaram omnium gentium literis atque linguis extollendam, exornandam & amplificandam commoditatem! Sed ne quis existimet, Academiarum usum temporibus duntaxat tranquillis servire, ideoque in memoriam revocate vobis celebre illud Regis Agamemnonis votum, quo, ut Troja facilius poteretur, non Achillis, non

Ajacis, sed Nestoris decem similes sibi optabat. Introspectite quaeso in Homericis pigmentis giganticam illam Poliphemi molem, qui tanto robore, tanta corporis vastitate ibidem depingitur, ut nihil supra, quid quaeso denotat aliud, quam bellicarum virium, nisi hominum Academicorum oculis gubernentur, nullum usum, nullum fructum, nullam denique vim habere. Velitis, jubeatis Auditores, deducam vos ad antiquam Chironis ferulam, veteremque illorum tunc temporis Heroum Academiam, ostendam ibidem vobis Herculem, digitum intendam in Achillem. Quid illi? quid? videbitis, quomodo praedicti Duces & Principes belli in Academiis sedeant, literarum tabulas in manibus teneant, disciplinaeque artium ac scientiarum quam diligentissime advertant, nullam profecto aliam ob causam, quam ut literarum praesidiis muniti ad fortitudinem majorem eniti & bellicam gloriam eo facilius consequi possint. Et ut in ea sententia magis confirmemini, producam vobis in medium ex Academiis Duces belli prudentissimos, qui Respub. jam desperatas & propemodum desertas, summa cum gloria restituerunt. Carthaginensium Respubl. ubi ita afflicta & continuis cladibus exhausta erat, ut quo se verteret non inveniret, ecce venit Xanthippus homo de Academia & pro Carthaginensibus contra Romanos non tantum venit, sed & vidit & vicit. De Lucullo homine Academico vobis constat, qui, quamvis nulla unquam militia tyrocinia degustasset, tantus tamen Imperator factus est, ut Mythridates nullum post Macedonem majorem cognovisse, affirmet. Et si orationis vela pandere & quasi aperto in vectus mari reliquos Academiae usus & utilitates omnes percurrere instituerem, vereor, ne, cum dicendi principium, ut facilimè reperero, exitum reperire non possem. Ideoque quae restant, Auditores, ea vestris sermonibus latius excolenda, expolienda & efferenda relinquo. Iam quod, altera Orationis nostrae pars requirit, quod ipsa gratitudo postulat breviter expediemus. Sed cum in accepto beneficio tanta dignitas, tanta laus, tanta gloria, tanta & tam maxima utilitas,

quibus

quibus laudibus beneficium hoc efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Satius esse puto, Auditores, in tantare, quæ vix Angelorum linguis satis deprecari potest, nos imitari Sacerdotes Ægyptios, qui, dum putabant nullum se posse dignum invenire carmen ad celebrandum beneficia à Deo accepta, in sacris suis, non voces, sed sonum & quidem sonum literarum vocalium tantum decantabant, fuso itaque muto illo & sine expressa voce sono, significabant, se plurimum quidem velle, nihil tamen posse: sic insolentia plenum erit, si conemur pluribus laudum encomiis beneficium hoc extollere. Convenientius ergo erit, fateri, nos efficacissimè obstrictos, plurimum quidem debere, parum tamen posse, & ob id grata mente beneficium hoc longè maximum agnoscere & Principi gratias agere. Quamobrem, cum nemo nostrum sit, Illustrissime ac Celsissime Princeps, qui vel divinitati ingenii sui, vel magnitudini doctrinae, vel amplitudini dicendi in tantum confidere possit, ut auderet sperare, se ulla sedulitate aut ullis officiis vel respondere vel parem gratiam referre posse, præsertim cum ad gratitudinem exercendam non tantum virtute aut verbis duntaxat, sed & magnis facultatibus opus sit, idcirco quod ipso facto prestare non possumus, id animo, voce, stilo, studiis & votis nostris, efficere annitemur. Omnes igitur ac singuli, quotquot hoc tuo beneficio, Illustrissime Princeps, affecti sumus: quotquot orthodoxam de Deo Trin-Vno doctrinam, in hac tua Academia addicerunt: quotquot hic & in aliis locis verbum Dei interpretantur: quotquot sacras leges iustitiæ cultoribus hoc in loco explicant; quotquot ex his, qui iustitiæ operam dederunt, vel in Principum Aulis, vel in iudiciorum subsellis, in tribunalibus, in curiis iustitiæ administrant: quotquot artem medicam profitentur: quotquot hominum animos artibus ac scientiis, linguam eloquentiâ, vitam virtutibus, instruunt, ornant ac reformant: quotquot honorum Academicorum titulis affecti: alius alia, quisque sua commoda & utilitates tacito pensitat cursu: Omnes ergo ac singuli, hoc tuum

beneficium, Illustrissime ac Celsissime Princeps, gratissima mente agnoscimus & Illustrissime Tuæ Celsitud. pro tot, tãtis ac tam variis beneficiis, in Ecclesiam, in Rempub. in omnes vitæ status, in omnem publicorum & privatorum temporum, locorum, personarũ, varietatem, in nos & nostros Clementissime collatis, gratias tantas, quantas animo ac mente concipere, voce atq; stilo proferre valeamus, debito, subjectionis affectu & justo venerationis cultu, agimus, easq; in æternum ætas cupimus & volumus. Quicquid etiam vel honoris, vel amoris, vel obsequii, vel fidelitatis, vel servitii, à nobis omnibus ac singulis tandem proficisci potest, id omne Tuæ Celsitud. cum debita submissione & subjectione offerimus, & ut gratos decet, nos præstabimus. Faciemus insuper, ut nostra monumenta post mortem nostram Tuã Celsitud. in æternum celebrët.

Tu Potentissime ac omnium temporum ac seculorum conditor, æterne Deus, cujus providentia, voluntate atq; decreto Illustrissimus ac Celsissimus Princeps noster hæc Academiam erexit, largire quaeso Illustriss. ejus Celsitudini, ut quàm diutissime & vivat, & quàm felicissime valeat, & ut hanc tuæ laudis officinam, uti hæcenus, ita & impostertum nutriat, curet, protegat, portas gloriæ tuæ, ut & justitiæ divinæ ac humanæ, aliarumq; artium, scientiarum ac facultatum quàm latissime ad omnes mudi angulos ex eadem pandat. Respice quaesumus super hanc domum tuam, super hanc Cathedram, super hæc subsellia, doce & rege nos, imperti docentibus alacritatem, discantibus intellectum, profectum, diligentiam, constantiam, pacem nobis tribue, bellum, pestem, famem & omnis generis mala averte. Tibi æterno ac omnipotenti Deo, sit laus, honor & gloria, in sempiterna secula. Dixi.

F I N I S.

OS(*)SO



Inches
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black